

norum, & Eutychnorum Hæreses posteriores esse S. Athanasio. Quarto, si illud Symbolum esse Sancti Athanasii, illud etiam citassent Patres Latini, qui post exortum Schisma Photianum usque ad Gregorii IX. tempora contra Græcos de Processione Spiritus sancti acerrime disputarunt. Nemo quippe negare potest, quod hoc Symbolum in quo aperte adstruitur Processio Spiritus sancti a Patre & Filio, ad convincendos Græcos Schismaticos magnum habuisset pondus ob summam Sancti Athanasii in utraque Ecclesia auctoritatem; & tamen nec Latini Patres, qui contra Græcos Schismaticos de Processione Spiritus sancti disputarunt, nec Patres, qui contra Nestorianam, & Eutychnam Hæreses scripserunt, ullam omnino illius Symboli mentionem fecerunt. Hæ sunt in summa rationes, quibus movetur periti Critici, qui hoc Symbolum abjudicant Sancto Athanasio. Ex adverso, hi qui cum Eminentissimo Annalium parente hoc Symbolum Sancto Athanasio vindicant, suas itidem proferunt rationes, & momenta. Quo fit, ut, cum de Auctore illius Symboli necdum inter eruditos viros conveniat, illud inter dubia saltem Sancti Athanasii Opera reponendum esse duxerim, quod nemo mihi vitio vertere debet (a).

„ (a) Operam profecto, oleumque perderem, si versandam iterum susciperem spartam, quæ viros doctissimos huc usque fatigavit, investigandi scilicet auctorem symboli vulgo inscripti: *Quicumque*. Unum hic tantummodo indicare operæ pretium duxi, nempe, ne constare quidem de tempore, quo prodire in lucem, atque innotescere cepit. Vulgata quidem opinio tenet medio sæculo VII. celebrem jam, & in usu fuisse Symbolum hoc, & nomen S. Athanasii prætulisse, uti constat ex Canone Synodi Augustodunensis sub S. Leodegario, in quo nomine fidei S. Athanasii designatum creditur. Quin & Toletana IV. Synodus habitata an. 633. formulis nonnullis in eodem Symbolo recurrentibus, utitur; ex quo inferunt eruditi jam tunc formulam hanc fidei innotuisse. Et mihi quidem hæc sententia probabilis semper visa est; vix enim crediderim nomine fidei S. Athanasii, de qua in Synodo Augustodunensi, designari Nicænam fidem, quæ opinio est P. Quæsnellii in Diss. XIV. ad Cod. Canonum Ecclesiæ Romanæ; cum ex collatione veterum monumentorum appareat Nicænum Symbolum semper sub titulo Nicæni Concilii designari. Quo semel admisso Symbolum hoc jam obtinuisse medio sæculo VII. vix dubitem formulas a Toletano IV. admittas ex hoc Symbolo exceptas fuisse. Cum vero nullam aliud innoverit de hoc Symbolo monumentum vetustius, hinc de tempore, quo præcolum est, vel saltem cepit innotescere, satis constare arbitror. Neque enim ulla habenda est ratio de testimonio S. Augustini in quodam ejus sermone super Psalmos, ubi sententia quædam, ut accepta ex hoc Symbolo laudatur; quamquam enim in nonnullis vetustis ejus Commem-

„ tarii editionibus legitur, deesse tamen in omnibus ejus MSS. Codd. PP. Maurini admonuerunt. De auctore vero ignorare me potius profiteor, quam ad inanes conjecturas recurrendo temere aliquid asserere.

„ Hæc ajo, quoniam persuasum mihi est scætum esse S. Athanasio suppositum, saltem totum Symbolum, quale nunc extat, & legitur. Quid si forte dixerimus hujus portionem esse Athanasii, alteram vero scriptoris ignoti? Profecto si scriptum hoc attente legerimus, in partes geminas distinctum & velut ex quibus compactum agnoverimus. Pars prior suo epiloquio clauditur, & veluti unum absolutum scriptum sese offert. Epilogus ista, seu clausula efficitur illis verbis: *Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat*. Attestitur huic alterum, quod veluti accessio facta priori haberi posset, incipiens ab illis verbis: *Sed necessarium est &c.* & illud pariter suam præfert conclusionem: *Hæc est fides Catholica &c.* Quis ergo prohibet quominus credamus prioris partis auctorem extitisse S. Athanasium, cum tota doctrina in eo comprehensa penitus Athanasiana sit, & nihil præferat tanto auctore non dignum? Argumenta omnia, quæ nos ab Athanasio abducunt, posteriori in parte continentur; quam sane accessionem & ego quidem ultro concedo alterius esse & facile latini auctoris. Sunt qui totum Symbolum a latino Scriptore ex stylo didicerint, sed hæc maxime elucet in accessione, obscura vero & ambigua in ea, quam prioris partem Symboli diximus. Hæc si admittantur, non est quod miremur, si titulus Symboli Athanasium auctorem jam inde a sæculo VII. prætulit. Non etiam abs re in vetustis Codicibus plane multis nullum auctoris nomen præferat, cum totum, prout extat, Symbolum a duabus inter se consertis partibus ab ignoto auctore proficiscatur.

„ D. Cui igitur Auctori attribuunt periti illi Critici hoc Symbolum, quod Sancto Athanasio abjudicant?

„ M. Symbolum illud aliqui Eusebio Vercellensi tribuunt; nonnulli Anastasio Sinaitæ; alii Vincentio Lirinensi; alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pipini, vel Caroli Magni temporibus floruit, occasionem præbente controversia de Processione Spiritus sancti in Gallicis Synodis tunc vehementer agitata. Alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo, acerrimo sub finem quinti sæculi Fidei Catholice defensori contra Wandalos, qui Ariana Hæresi infecti Catholicos omnes in Africa dira persecutione vexabant. Floruit etiam idem Vigilus eo tempore, quo Nestoriana, & Eutychna Hæreses magnos in dies progressus, præsertim per Orientales Ecclesias agebant, multaque Vigilus Opera scripsit, quæ non suo, sed sub antiquorum Patrum, præsertim sub nomine Sancti Athanasii, evulgavit, ut constat ex Dialogo adversus Arianos, Sabellianos, & Photinianos, quem ipse Vigilus sub

sub nomine Sancti Athanasii contra Ariam, Sabellium, & Photinum coram Judice *Probo* disputantis composuit. Cum igitur familiare esset Vigilio Tapsensi, Opusculis, quæ in publicum contra Hæreticos emittebat, præfigere antiquorum Patrum, & præcipue Athanasii nomen, difficile creditu non est, hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine Sancti Athanasii.

„ D. De Osio Cordubensi Episcopo, de Liberio Papa, de Marcello Ancyrano memini, te in superiori Colloquio mentionem fecisse, sed quid contra ipsos Ariani machinati fuerint, quoque pacto ipsi Arianis resisterint, & Catholicam Religionem propugnaverint? nunc breviter explices velim.

„ M. Dum de Osio Cordubensi Episcopo dicere me compellis, infandum profecto jubes renovare dolorem. Osus quippe meritis insignis, quem ad pacanda insaustra Ariana Hæresis exordia Constantinus Magnus Alexandriam miserat, ejusque opera, & sanctissimis consiliis usus fuerat; ille, inquam, Osus tempore Diocletianæ persecutionis acceptis plagis, & vebicibus pro fidei confessione toti Orbi spectabilis; ille, qui Legatus Apostolicus duobus Œcumenicis Conciliis Nicæno primo, & Sardicensi, pluribusque aliis Nationalibus Synodis contra Arianos celebratis præfuerat, ille, qui tot illustres legationes sub Constantino Magno summa cum laude obiverat, nonagenarius tandem senectutem suam turpissimo lapsu sedavit, & vi compulsus secundæ Sirmiensi Fidei Formulæ, quæ purum, putumque Arianismum exprimebat, subscripsit. Sed eum facti postea poenituit, teste S. Athanasio in Epist. ad Solitarios pag. 846. & paulo antequam moreretur, Arianam Hæresim diris devovit, vetuitque a quoquam probari, & recipi.

„ Eidem secundæ Sirmiensi Formulæ Fidei plane Ariana cum Osio subscripsisse Liberium Papam, qui Julio in Pontificatu successit anno 352. asserunt nonnulli. Sed præ aliis nobis probatur sententia illorum, qui docent, Liberium Papam ob invictam in fide constantiam ab Imperatore Constantio missum fuisse in exilium, eumque exilii tædio fractum, & impotenti recuperandæ suæ Sedis desiderio æstuantem subscripsisse damnationi Athanasii, sicut, & primæ Sirmiensi Formulæ Fidei editæ contra Photinum, quæ nihil Catholicæ Fidei adversum aperte complectebatur. Liberius, post Athanasii damnationem, Romanæ Sedi restitutus, *Felicem*, qui in Sedem Romanam auctoritate Constantii Imperatoris intrusus fuerat, Roma expulit, & ut lapsum suum repararet, Fidem Nicænam palam professus est, cum Sancto Athanasio societatem iniit, Semi-Arianos ad Catholicam Fidem adducere pro virili studuit, sicque sancte vixit, ut ejus nomen in multis Martyrologiis, in Synaxariis, & Menæis Græcorum die XXVII. Augusti, velut S. Pontificis fuerit insertum. Immo non desunt viri eruditi, quos inter censentur Cardinalis Perronius in sua ad Magnæ Britannæ Regem Responsione, Bellarminus in defensione *Felicis* Papæ, & Henschenius in Appendice tomo tertio mensis Aprilis

subiecta, qui asserunt, *Felicem*, qui anno 355. exulante Liberio, Pontifex Romanus ab Arianis ordinatus est, verum fuisse Pontificem Romanum, eumque sancte obiisse probant ex inscriptione Sarcophagi ejusdem Felicis ab aliquot annis reperta, in qua legitur: *Hic jacet Corpus Sancti Felicis Pape, & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnavit*. Verum, cum in contrariam opinionem abeant alii perdocti Scriptores, existimo nihil certi de hac controversia dici posse.

„ De Marcello Ancyrano, qui Arianos acerrime insectatus est, sat superque diximus in Colloquio de Hæresibus quarti Ecclesiæ sæculi agendo de errore Photini, qui fuit Marcelli discipulus. Anno 336. Marcellus Sabelliani erroris insimulatus, Sede Ancyrana ab Arianis depositus est, & in ejus locum Basilus subrogatus. Sed Marcellus, oblata fidei professione, a Julio Papa, & postea a Concilio Sardicensi absolutus communioni Athanasii indivulso semper hæsit. Multa contra Arianos scripsit volumina, quæ temporum injuria interciderunt. Superfunt nunc quædam fragmenta libri, quem edidit contra *Asterium*, quem Marcelli librum confutavit Eusebius Cæsariensis. Nonnulli antiqui & recentiores Scriptores affirmant, Marcellum nimio ardore in oppugnando Arianorum errore abreptum, in oppositum Sabellii errorem deflexisse. Sed quamvis negari haud possit, Marcellum his quandoque verbis usum esse, quæ Sabelliano errori in speciem favere videntur, eum tamen ab hoc errore abhorruisse patet ex professione fidei, in qua Marcellus, & post ejus obitum illius discipuli Sabellianam Hæresim conceptis verbis detestati sunt. Obiit Marcellus anno 374. anno videlicet post mortem S. Athanasii.

„ D. Fuerunt ne in quarto Ecclesiæ sæculo alii viri illustres, qui Arianam Hæresim scriptis impugnaverunt, & persecutionem Catholicæ fidei causa passi sunt?

„ M. Sicut S. Athanasius fuit in Oriente Ariana Hæreseos infensissimus hostis, & fidei Nicænae intrepidus assertor, sic Sanctus Hilarius in Occidente perpetuum Arianae impietati bellum indixit, ac merito Arianorum in Occidente domitor passim audit. E Gallis oriundus erat S. Hilarius, & jurgi sacrae Scripturæ lectione ab Idololatria ad fidem Christianam conversus, patriæ suæ Pictaviensis Episcopus factus est. Contra Arianos fidem Catholicam in Concilio Mediolanensi anno 355. celebrato strenue defendit. A communionem Episcoporum Saturnini Arelatensis, Ursacii & Valentis, qui in Occidente Ariana Hæreseos Primipili erant, & Antesignani, se omnino separavit. E Synodo Biterrensi, in qua fidem Nicænam, & Athanasium constanter tuitus est factione Saturnini Arelatensis Præfulis Arianus in Phrygiam exul a Constantio Imperatore missus est. Interfuit Concilio Seleuciensi, in quo magno animi ardore, & mirabili ingenii vi adversus Arianos pro Nicæna fide disputavit. Quin etiam eisdem ab hac Synodo revertentes

ad conspectum usque Constantii persecutus est, ut coram Imperatore fidei causam, quam tum in Oriente, tum in Occidente periclitari ægre videbat, omnibus ingenii, & eloquentiæ suæ nervis sustineret. Sed illius acumen pertimescentes Ariani persuaserunt Constantio, ut eum ad pristinam Ecclesiam postliminio liberum remitteret. Victor itaque, & ab exilio redux Hilarius anno 360. frequentes, teste Severo Sulpicio, Synodos in Gallis habuit, ut ruinas ab impio Saturnino, & ab aliis Arianae Factionis aedificis illatas repararet, fidem Nicænam firmaret, & Conciliorum Ariminensis, & Seleuciensis decreta penitus rescinderet. Saturninus Arelatensis Episcopus, & Paternus Petricoriensis Præful proscripti sunt. Alii vero Episcopi, quos rerum in Concilio Ariminensi vere gestarum pœnituit, ad communionem suere admissi. Contra Auxentium Mediolanensem Episcopum Ariam coram Imperatore Valentiano, qui tum temporis, idest anno 365. Mediolani aderat, disputavit, eumque Ariasmi convict. Tandem post tot labores gloriose proficere Catholica tam in Oriente, quam in Occidente exhaustus, obiit S. Hilarius anno 367. sive ut ait Severus Sulpicius, sexto anno, postquam redierat in Gallias. Vita S. Hilarii legenda est apud Bollandum tom. 1. die XV. mensis Januarii. Eruditi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri novam, & emendatissimam ejus Operum, quæ accurate cum variis MSS. Codicibus contulerunt, Editionem adornarunt.

Opera genuina S. Hilarii sunt: *De Trinitate libri 12. Adversus Constantium Imperatorem liber unus. Ad eundem Imperatorem libri duo. Adversus Arianos, & Auxentium liber unus. Liber de Synodis adversus Arianos. Fragmenta ex Opere Historico de Synodis libri duo. Commentarii in Evangelium S. Matthei. Commentarii in Psalmos. Sancti Hilarii scripta legi posse inoffenso pede scribit S. Hieronymus.*

Opera S. Hilarii supposititia sunt: *Epistola ad Augustinum. Alia ad eundem. Carmen in Genesim. Liber de Patris, & Filii unitate. Liber de Essentia Patris, & Filii.*

Epistola S. Hilarii ad Abram filiam suam nonnulli viri eruditi inter illius Patris Opera supposititia reponunt; sed quia alii periti Critici hanc Epistolam Sancti Hilarii genuinam esse affirmant, consultius esse putamus, propter hanc Criticorum altercationem, Epistolam istam inter dubia S. Hilarii Opera collocare.

Opera S. Hilarii quæ non amplius extant, sunt ista: *Tractatus in Job. Commentarii in Cantica Canticorum. Historia Ariminensis, & Seleuciensis Synodi adversus Valentem, & Ursacium. Liber adversus Salustium, seu Dioscorum Medicum. Liber Hymnorum. Liber Mysteriorum. Epistola plures. (a)*

(a) Ante decem ab hinc annis prodiit epistola quædam parænetica ab anonymo ad anonymum scripta, quam S. Hilarii Pictaviensis scetum esse arbitratur Reverendiss. P. D. Jo. Chrysostomus Trombelli Congr. Rhénanæ S. Salvatoris Abbas Generalis vir plane doctus-

simus, & scriptis libris clarissimus, qui e MS. Bononiensi illam evulgavit. Verum ejus opinio (pace amicissimi viri dixerim) mihi non satis probatur. Etenim nomen Hilarii nec præfert Codex, unde scriptum hoc petatum est, nec ab alio quocunque veteri authore unquam Hilario tributum legimus. Quin nec stylus cum ceteris sinceris Hilarii operibus cohæret; quamquam enim vocibus minus latinis usum interdum Hilarium fatear, nemo tamen mihi persuaserit voces istas ex eloquentissimi viri eloquio processisse: *Viro convenit sacerdotare Deo; splen- didicare; misterium sumant, pro argumentum sumant. Inepit etiam aliquando, ut cum uxorem legitime ductam designat his verbis: nullam fœminam licere contingere excepta uxore, & ipsam Deifice comparatam. Obscurus est etiam, nec mentem suam satis perspicue exponit. Quid enim est cum viros monet: & ita debet tam in Catechismo, quam etiam in laica vita conversationem suam mundissimam exhibere? Quidnam hoc quoque? In sinuandum est & expingi totum hominem necesse est, quoniam omnes aut in virtute inveniuntur esse, aut in crimine. Quis hæc credit de viro judicio S. Hieronymi ad miraculum eloquentissimo? Adde testimonia Sacra Scripturæ ex versione nonnihil diversa ab ea, qua S. Hilarius in sinceris suis operibus usus est.*

At enim eadem interdum offenduntur in S. Hilario, quæ cohærent doctrinæ hujus Epistolæ. Fateor quidem si de doctrina agatur; neque enim nihil nisi sanum in hac Epistola traditur, sicut & sana est doctrina S. Hilarii. Nunquid ergo ex his recte inferas hujus authorem esse S. Hilarium? & non potius utrumque recta sensisse, ac utriusque rectum judicium extitisse? Igitur Epistolam hanc, sive malueris opusculum utrum ad S. Hilarium pertineat, jure meritoque ambigi posse cenleo.

Sancti Hilarii zelum in profliganda Ariana Hæresi amulatus est Lucifer Calaritanus Episcopus, qui plures libros ad veritatis, & Ecclesiæ defensionem edidit, duos videlicet *ad Constantium Imperatorem. Alterum, de non parcendo delinquentibus in Deum. Unam, qui inscribitur: quod moriendum sit pro Filio Dei. Alium denique de non conveniendo cum Hæreticis. Sed in his libris Lucifer Calaritanus longe abest a prudentia, & moderatione S. Hilarii. Suos quippe adversarios Lucifer nullo defectu tractat, nemini parcit, neque Potentibus, quos intempestiva libertate carpit, mordet & exagitat. Unde non mirum, quod rigidus ille morum Censor nimia sua severitate initium dederit Schismati, quo diu vexata est Ecclesia Anriochena, & Schismati Luciferianorum. Mortuus est Lucifer Calaritanus anno 370.*

D. Hactenus, ut video, fecim Scriptorum, qui in Arianos calumnia acuerunt, texere voluisti. Nec dubito, quin multo plures ante & post ortum Arianae Hæreseos floruerint in quarto Ecclesiæ sæculo Scriptores, quorum nullam adhuc mentionem fecisti. Age ergo, tot Illustres viros

produc

produc in medium, ut eorum Opera perspecta habere possim.

M. Quarto Ecclesiæ sæculo, præter Sanctissimos Monachos, Antonium, Pachonium, Marcum, & alios, qui de Ecclesia bene meriti sunt, rem Christianam suis scriptis illustrarunt bene multi, quos tibi breviter indicabo. In primis, S. Petrus Alexandrinus Episcopus Canonicam scripsit Epistolam, in qua tempus pœnitentiæ præfigit his, qui in Idololatriæ scelus erant prolapsi. Rhetorius Episcopus Augustodunensis interfuit Concilio Romæ celebrato anno 313. ediditque Commentarium in Cantica Canticorum, cuius meminit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiæ. S. Methodius Episcopus Patrensis, & Martyr sub Diocletiano Imperatore scripsit *Symposium, seu Convivium decem Virginum*, quod doctissimus noster Combefsius in Auctario postremo Bibliothecæ Patrum Græcorum inseruit (a). Composuit etiam S. Methodius *Orationem de Simeone, & Anna in die occursus, deque Sancta Deipara, & alteram Orationem in Ramos Palmarum*, quam mox laudatus Combefsius ex Codice Regio Græce & Latine edidit. S. Victorinus, non Pictaviensis, ut vulgo dicitur, in Aquitania, sed Petabionensis in superiore Pannonia Episcopus, ut singulari libello evincit Joannes Launjus Doctor Theologus facultatis Parisiensis, Martyr occubuit in persecutione Diocletiani & Maximiani, & scripsit Commentaria in Genesim, in Exodum, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Isaïam, in Ezechielem, in Matthæum, & in Apocalypsim. Gelasius Papa Victorini Opera ad Apocryphorum Classem rejecit, quod millenario fabulas in iis obruderet, sed præsertim in Commentario in Apocalypsim. Arnobius, qui sub Diocletiano Imperatore floruit, septem libros adversus Gentes erudite, & stylo tumido, elatoque orationis genere conscripsit, in quibus tamen quædam esse cavenda monet S. Hieronymus in Epist. 76. ad Tranquillum. *Lactantius Firmianus* Arnobii discipulus, & ob politum scribendi genus *Cicero Christianus* appellatus, floruit etiam sub Diocletiano. Inter ejus Opera potissima sunt: *Divinarum Institutionum libri septem, & eorumdem Epitome, de Ira Dei, & de Opificio Dei. Liber de persecutione, sive de moribus persecutorum.* Opus valde insigne, quod hucusque latuerat, e tenebris eruit V. C. *Stephanus Balthusius.* Libros Lactantii ob nonnullos errores, qui in his offenduntur, in Apocryphorum Classe reposuit Gelasius Papa in Concilio Romæ habito anno 494. (b). *Juvenius* insignis Poeta, cuius meminit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quatuor Evangelia Heroicis versibus ad verbum pene translulit, quod Opus nuncupavit Constantino Magno Imp. *Juvenco* adjungi potest *Ausonius* Poeta Christianus Patria Bardigalensis, qui elegantissimas Poeses scripsit, & Fastorum libros absolvit, quos a principio Urbis condita ad suum usque Consulatum, hoc est, usque ad annum Christi 379. perduxit. *Julius Firmicus Maternus*, qui antequam Christo nomen daret, octo de Astronomia libros

ad Lolliam scripserat, factus postea Christianus librum edidit *de errore Prophanarum Religionum*, quem nuncupavit filiis Constantini Magni, sub quibus floruit. *Eusebius Emislenus* in Syria Episcopus Arianus tempore Constantii Imperatoris vixit, multasque, & breves scripsit Homilias in Evangelia, quæ omnino perierunt. Unde Homilia, quæ modo sub Eusebii Emisleni nomine vulgata circumferuntur, non sunt Eusebii Emisleni, qui Græce scripsit, sed cujusdam Latini Scriptoris. Perierunt etiam libri, quos edidit *Jacobus, Nisibis Urbis* in Perside celeberrimæ Episcopus, & in Maximiani Imperatoris persecutione confessionis gloria insignis, & unus e Nicænis Patribus, qui Ariam damnaverunt, cuius vitam scripsit Theodoretus in Historia Religiosa cap. 11. *Marius Victorinus* natione Afer Rhetoricam per plures annos Romæ docuit, ac multa edidit Opera, inter quæ eminent libri quatuor *de Sanctissima Trinitate* adversus Arianos. S. *Pacianus* Barcinonensis Episcopus scripsit tres Epistolas contra Novatianos; *Parænesim ad Pœnitentiam, & sermonem de Baptismo ad Catechumenos.* *Phœbadius* Agenensis in Aquitania Episcopus edidit librum contra Arianos, in quo damnat secundam Sirmiensem fidei Formulam. *Opratus* Milevi in Numidia Episcopus sub Valentiano, & Valente Imperatoribus floruit, & *sex de schismate Donatistarum* libros adversus *Parmenianum* Donatistam perdocte composuit. *Septimus* liber tanquam assurus, & additius a peritis Criticis rejicitur. *Titus Bostrorum* in Arabia Petraea Episcopus sub Juliano, & Joviano Imperatoribus floruit, & scripsit tres adversus Manichæos libros, qui tom. 5. antiquæ lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Patrum inserti sunt. *Commentarius vero in Evangelium S. Lucae* Tito Bostrorum Episcopo perperam tribuitur, cum in illo multi citentur Auctores, qui Tito sunt posteriores. *Didymus* Alexandrinus captus a prima ætate oculis multa Opera scripsit, quæ S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum recenset, & e quibus ipse librum *de Spiritu Sancto* latine interpretatus est. His eruditus viris lubens adjungerem duos Apollinarios, Patrem scilicet & Filium, quorum Primus Patria Laodicensis, professione Grammaticus, & dignitate Presbyter, Græcis disciplinis eruditissimus, atque suæ ætatis eloquentissimus multos utiles dedit Ecclesiæ libros, quos inter numerantur triginta volumina, quibus respondit Porphyrio in Christianos summa cum petulantia debacchanti, totamque Hebræorum Historiam carmine Heroico conscripsit. Alter vero Apollinarius senioris Apollinarii filius, vir pariter doctus fuit, Græcis disciplinis apprime excultus, & Ecclesiæ Laodicensis Episcopus. Verum hi duo Apollinarii albo virorum illustrium, qui Ecclesiam quarto nominis Christiani sæculo nobilitarunt, accenseri minime debent, quia ingenii, & eloquentiæ fiducia plus æquo freti in perniciosum errorem proruperunt, dicitantes, *Christum sumpsisse quidem Corpus ex B. Virgine, sed sine Anima.* Postea, suum quasi revocantes errorem, facti sunt, *Christum sumpsisse Animam, sed que men-*

mente caveret, Verbumque Divinum fuisse mentis loco. His ergo prætermisissis, venio nunc ad celebriores Scriptores, qui ab anno 350. usque ad finem sæculi quarti in Ecclesia floruerunt.

„ (a) Quamquam Combesius in altero tomo Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum inseruit *Convivium decem Virginum* S. Methodii, non tamen primus extitit, qui opusculum istud in lucem protulerit; nam ante illum Leo Allatius Romæ evulgaverat, ac luculenta dissertatione, notisque illustraverat. Alias etiam notas ad illud dedit Henricus Valesius, quas una cum notis Allatii recudendas curavit Fabricius in secundo volumine operum S. Hippolyti.

„ (b) Commemoratione hic dignum censeo Epitomen Lactantii (quæ ab ipsa S. Hieronymi ætate acephala habebatur) nunc integram legi suppletam ex Codice vetustissimo Bibliothecæ Regiæ Universitatis Taurinensis, quo in Codice Christophorus Matthæus Phaffius eam nactus evulgavit, Parisiis an. 1712. Quamquam vero sint qui de ejus sinceritate dubitant, uti Walchius in sua editione operum Lactantii; nullas tamen profert singularis sententiæ suæ validas conjecturas, ideoque vix ullus superest Criticus, qui dubitationem hanc Walchii adoptet. Vide novissimam editionem operum Lactantii a Nicolao Lenglet evulgatam Parisiis an. 1748. D. Quinam sunt celebriores isti Scriptores, qui ab anno 350. usque ad finem quarti sæculi Ecclesiam illustrarunt?

M. Laudabo in primis quatuor Patres Græcos, quorum doctrinam & pietatem suspicit universus Orbis Christianus, S. Cyrillum Hierosolymitanum, & S. Basilium, S. Gregorium Nazianzenum, & S. Gregorium Nyssenum.

D. Veneranda isthæc Patrum Græcorum nomina jam pridem mihi nota sunt, sed illorum Vitæ & Operum, quæ ediderunt, aliquam notitiam mox a te habere desidero.

M. Cyrillus Hierosolymitanus anno 350. ab Acacio Cæsareæ Episcopo Ariano subrogatus est in locum *Maximi* Hierosolymorum Episcopi adhuc viventis, & Sede sua ab Ariano depositi. At idem Acacius etiam Cyrillum Sede dejecit, quod de Jure Metropolitano adversus se controversiam movisset, ut testatur Sozomenus lib. 4. Hist. Eccl. cap. 5. nec Sedem suam restitutus est Cyrillus quamdiu vixit Imperator Constantius. Sed mortuo hoc Imperatore, ad eam rediit & quiete, atque pacifice vixit usque ad Imperium *Valentis*, sub quo Sede sua iterum expulsus, eam dumtaxat post mortem illius Imperatoris recuperavit, ejusque electionem Patres Concilii Generalis Constantinopolitani primi anno 381. celebrati confirmarunt. Observant viri periti, S. Hieronymum juvenem adhuc fuisse, quando suum Chronicon scripsit, in quo Cyrillum inter Episcopos Arianos reponit, eo quod fortasse S. Cyrillus ab Acacio Episcopo Ariano fuisse Hierosolymorum Episcopus constitutus. At Henschenius die XVIII. Mensis Martii in vita S. Cyrilli Hierosolymitani, & Papebrochius in *Historia Chronologica*

Patriarcharum Hierosolymitanorum, Cyrillum a suspitione Ariana hæreseos jure merito liberant. Denique, Cyrillus meritis plenus post varios pro Christo toleratos labores migravit ad Dominum anno 386. ut recte ait Baronius. Vixit in Episcopatu, juxta tabulas Theophani insertas, annos triginta quinque. Catecheses decem & octo ad *illuminatos*, quæ *extemporaneæ* dicuntur, hoc est Instructiones, sive Institutiones piæ & doctas ad erudiendos, & bene informandos accedentes ad Lavacrum, vel Baptismo recentem generatos adhuc adolescens composuit, & ex tempore Hierosolymis habuit S. Cyrillus, quas omnes, ut legitimas Sancti Cyrilli proles, agnoscit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, frustra licet & temere reclamante *Riveto* ex Calvinistarum grege Pseudo-critico lib. 3. Crit. Sac. cap. 8. Scripsit etiam S. Cyrillus Catecheses quinque Mystagogicas, & Epistolam ad Constantium Imperatorem *de Signo Crucis in Cælo*, quam Epistolam idem *Riveto* vanis & ficulneis conjecturis, ut assolent, indulgens, falso abjudicat S. Cyrillo. Fatentur tamen omnes ad unum periti Critici Catholici, Epistolam nomine Cyrilli Hierosolymitani ad S. Augustinum: *De miraculis S. Hieronymi* scriptam, quæ inter Opera S. Hieronymi legitur, esse plane supposititiam, tum ob illius insulsiatatem, tum quia etiam S. Cyrillus multis annis ante S. Hieronymum obiit.

S. Cyrillo Hierosolymitano adjungam Sanctum Ephremum Syrum & Ecclesiæ Edessæ Diacōnum, quem non solum vitæ sanctimonia, sed eruditionis fama ubique celebrem multi Sancti Patres, præsertim Basilium Magnum, Gregorium Nyssenus & Hieronymus summis laudibus extulerunt. Scripsit Syro sermone variis de argumentis Opuscula, quæ e Syro in Græcum, & e Græco in Latinum translata variis editionibus fuerunt evulgata, inter quæ sunt *Paræneses*, sive *exhortationes ad Monachos*. *Sermones Ascetici*. *Encomia in Sanctos*, & *Testamentum ejus mirabile*, sive *Oratio ultima*, in qua S. Ephremus propediem moriturus singulis pro testamento reliquit *varia vitæ sanctæ præcepta*. Vitam Sancti Ephremi leges apud Bollandum die 1. mensis Februarii ei sacra (a).

„ (a) Locum hunc præterire non patiar quin prius sub oculis curiosi rerum Ecclesiasticarum Lectoris aperiam scenam sane jucundam, quam offert splendidissima editio Scriptorum omnium S. Ephrem nuper curata sub auspiciis & favore Angeli Mariæ Quirini S. R. E. Cardinalis & Vaticanæ Bibliothecæ præfecti longe meritissimi (cujus viri scientia par est amplissimæ illi Bibliothecæ cui præficatur, nec inferior utrisque in Literatos & Literas amor) operam & studium conferentibus trium viris illis illustribus, Josepho Assemani, P. Petro Benedicto, & Societ. Jesu, & Stephano Evodio Assemani. Romanis exquisitissimis typis excusum est egregium opus, anno 1737. 1743. cujus tria priora volumina præter amplissima prolegomena totum continent quicquid superest Græco-

Græcorum scriptorum S. Ephrem, vel si malueris eas viri Sancti Lucubrations olim ab antiquo interprete Græce versas. Parum hic legitur quod non prius occurrerit sive in Vossiana Latina editione, sive in Græca Oxoniensi; quamquam & sunt ascetici sermones nonnulli plane novi e Bibliotheca Vaticana deprompti. Posteriora volumina tria pretiosum dant thesaurum e fodinis Syriacis nunc recens effossum, nempe plerosque in libros V. T. Sancti Doctoris commentarios. Cum vero inter ceteras nec sua in utrumque Machabæorum commentatio desit, novum ex his conficitur argumentum ad vindicandam sacri canonis Ecclesiæ Catholicæ veritatem. Quin & in ea lucubratione Catholicum dogma de precibus pro mortuis adjuvandas solutas e corpore animas exponitur & admittitur. Commentarios excipitur dictæ & hæreticos orationes validis argumentis conficientes impii Marcionis, Manichæorum, Valentinianorum, Novatianorum, Bardesani commenta: sunt autem sermones num. 56. Sequitur volumen tertium, in quo tractatus recententur octo *adversus de fide scrutatores* scripti, in quibus Ariani, Eunomiani, ac potissimum Aetiani conficiuntur; demonstraturque Dei naturam immensam superiorem esse quam ut humano ingenio comprehendere possit; vana ergo tentare illos qui Dei naturam assequi se posse jaçant; quod inane erat Aetianorum molimen. Post hæc succedit adversus Judæos sermo; tum necrosissima seu funebres canones 85. quibus hominum funera lugentur; quamquam de singulorum gestis nihil peculiare tangitur. Secundum hæc *de libero arbitrio* sermones quatuor. *Parænetici* sermones 76. *de Paradiso Edem* sermones 12. *de diversis* sermones 18. atque his præclarissima illa editio absolvitur. Autoritate Syri hujus Doctoris in Sermone *de Cæna Domini* abusus est Joannes Kohlius Lutheranus, ut transubstantiationis Catholicum dogma conveleret; sed P. Petrus de Benedictis Maronita, Societatis Jesu presbyter, vir plane doctissimus, qui in adornanda hac editione operis plurimum & potissimum impendit, scripto Antirrhético heterodoxum egregie confutavit, demonstrans, pluribus aggestis ex omnibus Operibus S. Ephrem testimonis non aliam fuisse Doctori sancto mentem quam quæ est Ecclesiæ Catholicæ. Ceterum Sermones illos alterum habere authorem a Sancto Ephrem Syro contendit. Lucubratio ista P. Benedicti annexa est secundo volumini Græcorum operum S. Ephrem hujus editionis. Inter Patres Græcos, qui in quarto Ecclesiæ sæculo floruerunt, eminet S. Basilium dictus *Magnus*, sed *Maximi* cognomento dignior. Parentibus antiqua nobilitate claris, *Basilio* scilicet patre & *Emmelia* matre genitus, humanioribus litteris postquam Cæsareæ in Palæstina operam dedisset, Constantinopolim venit, ut *Libanium* gentilem insignem id temporis Oratorem audiret. Athenas deinde studiorum causa perrexit; ubi plures annos S. Gregorii Nazianzeni comes individuus fuit, & amicus charissimus. Circa annum 355. ad natale solum

reversus, Ægypti, & Lybiæ Monasteria perlustravit ac vitæ Religiosæ incensus desiderio, una cum suis duobus fratribus, *Petro*, & *Naucratio*, & aliquo amicis secessit in Ponticæ Regionis Eremum, primusque fuit in Ponto & Cappadocia Parens, & Institutor Monachorum, quibus vitæ Monasticæ Regulam præscripsit. Ariarum hostis adeo fuit, ut a *Dianii* Cæsareæ in Cappadocia Episcopi sui communionem recesserit, quod Formulæ fidei Concilii Ariminensis subscripsisset, & in gratiam cum ipso tantum redierit, quando hic Episcopus in lecto morti decumbens declaravit, Nicæna fidei se sincero semper animo adhæsisse, quamvis fidei Formulæ Ariminensi imprudenter subscripsisset. Aliquas etiam similitates habuit Basilium cum Eusebio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo *Dianii* successore, sed postea cum ipso reconciliatus est, eoque mortuo, Basilium in ejus locum successit, & Cæsareæ in Cappadocia Episcopus ordinatus anno 371. ut solide probat Cl. Pagius ad annum 370. ubi etiam observat, Basilium bis a Valente Imperatore impetum fuisse. Primo, dum adhuc tantum Presbyter esset, quando videlicet anno 370. *Modestus* Prætorio Præfectus eum nomine Valentis Imperatoris, qui fidem Catholicam, & Ecclesiam opprimere volebat, minis, & promissis flectere, atque ad Ariarum partes trahere conatus est. Alteram impressionem *Valens* Imperator in Basilium jam Episcopum fecit anno circiter trecentesimo septuagesimo quinto. Sed *Valens* videns constantiam S. Basilii, qui nec potentia frangi, neque labefactari minis, neque blanditiis, & promissis exorari poterat, mutavit consilium, nec quidquam amplius in ipsum molitus est. Demum, postquam S. Basilium diu, multumque adlaborasset ad stabiliendam pacem Ecclesiæ, & ad procurandam unionem Meletianorum cum S. Athanasio, & cum aliis Episcopis Occidentalibus, obiit Kalendis Januariis anni 380. sicut invicte probat doctissimus Pagius ad annum Christi 378. Præclara post se Basilium reliquit ingenii sui monumenta, in quibus, ut ait *Ellias Dupin* tom. 2. Biblioth. Scriptorum Eccl. pag. 586. & 587. omnia tam ad vivum describit, tanta vi rationes suas explicat, tam horrendas vitii picturas delineat, ejus ad virtutem hortamenta tam efficaciter persuadent, ejus documenta usque adeo ampla, & utilia sunt, ut ejus scripta legere nemo possit, quin se erudiri, & persuaderi de veritate persentiscat, & quin amorem erga virtutem, & odium adversus vitia concipiat. In ejus Sermonibus eloquentia doctrinam comitatur, pariter erudiunt, delectant, & movent. Dicitio ejus tersa est, emphatica, sublimiter sensa sua enunciat. Stylus purus est, elegans, & ad persuadendum efficax. Ejus oratio nativa, lenis, & inaffectata semper deprehenditur. Jucunde persuadet, tam perspicue res explanat, easque adeo verisimiliter enuntiat, ut eruditi Photii judicio, eum nobis proponere possumus in Exemplar *Demosthenis*, ac disertissimis Oratoribus antiquitatis haud longe inferius, immo, si Erasmo fides adhibeatur, veteres Græciæ Oratores antecellit, eorumque vitis caret. S. Basilii laudes celebrant S. Gregorius Nazianzenus in *Oratione de ejus*